



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Seqvntvr Contiones De Festis Christi, & historijs Sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

SEQVVTVR CON- TIONES DE FESTIS

Christi, & historijs
Sanctorum.

CONTIO DE TRINITATE Euangelium Matth. 3.

TVNC accedit Iesus a Galilea ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab illo. At Ioannes prohibebat illum, dicens, Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Respondit autem Iesus, dixit ad illum, Omitte nunc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam. Tunc omittit illum. Et baptizatus Iesus, ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi caeli, & uidit spiritum Dei descendentem, tanquam columbam, & uenientem super ipsum. Et ecce uox de caelis, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.

Hæc

CONCIO.

HAec lectio proponatur, ut doceantur homines, quæ sit uoluntas Dei, & quomodo sit inuocandus. Nam hæc est propriè Ecclesie doctrina. Et hic semper fuerunt quæstiones omnium maxime, sicut Philippus inquit, Domine ostende nobis patrem. Duæ sunt autem uie quærendi definitionem, seu quid sit Deus. Altera rationis, sine uerbo Dei, ut, Plato intuens certas leges motuum cœlestium, & ordinem in natura statuit hæc orta esse ab aliqua æterna mēte. Ideo hanc definitionem tradit: Deus est mens æterna, causa boni in natura, ac potest addere, quæ uult nos sibi obedire, iuxta discrimen honestorum & turpium impressum mentibus humanis. Nec exiguum miraculū est, quod hæc noticia utcumque lucet in mentibus humanis, quæ tamen multo illustrior esset, si natura hominum non esset corrupta. Sed quia iam in hac naturæ corruptione obscurata est, Deus immensa bonitate iterum se patefecit, sua uoce & misso filio.

Est ergo altera uia quærendi, quid sit Deus. Plato intuetur naturæ ordinem, nos intueamur illustriora testimōia. Propone tibi baptismū Christi, in quo audi uocem Christi, Hic est filius meus dilectus. Filiū stantiē in Iordane uidēt oculi

&

DE TRINITATE.

Et descendit spiritus sanctus specie columbæ. Considerentur aliæ similes reuelationes et conuersiones, in quibus Christus discernit personas. Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item, Dabit uobis aliud paracletum spiritum ueritatis. Ad hæc testimonia referamus mentem, oculos, et aures, et statuamus Deum sic uelle agnosci, ut se patefecit, uelle, non sola ratione, inuestigari, sed per sua testimonia: Sicut inquit Christus, Nemo nouit patrem nisi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Discernamus nos ab Ethnicis, Iudeis, Mahometistis, Hæreticis. omnes illi quærent Deum sine ipsius uerbo ac testimonio.

At Deus iussit nos audiri filium, Huc audite: et addit testimonia resurrectionis mortuorum, et alia, ut sciamus uerè ipsum uelle se sic agnosci et inuocari, sicut se in hoc uerbo patefecit. Constituamus ergo definitionem.

Primum cogitemus Deum esse quandam essentiam diligentem, æternam, immense potentie. Hæc docet 1 cap. Genesis, de omnipotentia, In principio creauit Deus cælum et terram. Quod sit essentia intelligens, testatur Genesis, cum inquit, Dixit Deus. Nam dicere est naturæ cogitantis, et sapientis, Adde amplius, Deus est
essentia

CONCIO

essentia intelligens, æterna, omnipotens, sapiens, iusta, uerax, bona seu benefica. Nam quod sit iusta, uerax & bona, etiam Genesis indicat, in-
quiens: Faciamus hominem ad imaginem nostrā
Mens autem hominis intelligit discrimen iusto-
rum & iniustorū & iusticiam, ueritatem & bo-
nitatē approbat. Ergo & diuina mens talis est.

Hæc quæ hæctenus dixi, agnoscit etiā Pla-
to. Addendæ sunt igitur plures descriptiones, &
hæc sumendæ sunt ex testimonijs diuinis. Hæc essen-
tia æterna, intelligens, est, Pater gignens filium,
imaginem, quæ refert patrem, qui cum de sub-
stantia patris natus sit, est eiusdem essentia, po-
stea uerò assumpsit humanam naturam, & pro-
piciator constitutus est, propter quem recipi-
mur, exaudimur & saluamur. Et ab utroq; pro-
cedit spiritus sanctus ab æterno, per quē inchoat
in nobis uitam æternam, condens nouam lucem,
timorē Dei, fidem, & alios bonos motus.

Hæc est integra descriptio ignota Platoni,
sumpta ex testimonijs, in quibus Deus se patefe-
cit. Et quoties precamur, hæc omnia primum
cogitanda sunt, quid inuoces, quem Deum, ubi se
patefecerit, quæ sit eius uoluntas, an uelit exau-
dire. Vtilissimū est mēte intueri baptismū Chri-
sti, item

DE TRINITATE.

sti, item nostrum baptismum. Vt summum opus est inuocatio, ita pauci sunt, qui recte inuocant. Ethnica, Iudaica, Turcica inuocatio, propter multas causas dānatae sunt, quā nec directae sūt ad uerū Deum, nec fiunt in agnitione uerbi Dei, nec fiducia Christi. Item prorsus fiunt in dubitatione. Præterea multi titulo Christiani currunt ad statuas, aut recitant preces, ne quidem cogitantes de Deo, quē Deum inuocent, & an exaudiat. Quidā Bremita dixit difficilimū omniū operum esse precationem, et uerū est, quia non est tantū recitatio uersuum, sed requirit cogitationem de uero Deo, & fidem.

Primum cogites de obiecto, scilicet, de uero Deo, ut ad ipsum dirigatur inuocatio. Deinde cogitentur præceptum & promissio Dei de inuocatione. Tertio adsit & fiducia Christi, propter quem credamus nos recipi, & exaudiri. Quarto petatur res certa & agantur gratiæ. Sit igitur talis aliqua forma precationis, comprehendens tres personas, ut discernatur nostra inuocatio ab ethnica, Iudaica & Turcica.

Omnipotens æterne, & uiue Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamaſti de filio tuo

Hunc

CONTIO

Hunc audite. Conditor omnium rerum, & conseruator, cum filio tuo coeterno, Domino nostro, Iesu Christo, & spiritu sancto tuo, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis, miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, mediatorem & deprecatorem, sanctifica, rege, doce, iuua me spiritu sancto tuo, serua & rege Ecclesiam tuam, & politias, quae praebent hospitia Ecclesijs:

Hac forma complecteris tres personas. Primo simul in creatione, quia creatio est commune opus, & inuocas unam illam essentiam conditricem rerum, sicut se patefecit. Deinde admones Deum suarum promissionum de filio incarnato, & petis fiducia filij, eiq; tribuis proprium munus quod constitutus sit mediator, & fuerit uictima. Tertio tribuis spiritui sancto suum munus quod per eum regamur. Sicut scriptum est, Esfundam de meo spiritu super omnem carnem. Sic in inuocatione exerceatur doctrina de personis, & cogitentur discrimina penes officia, sicut reuelatae sunt personae. Teneamus autem et communem doctrinam, quod sit una essentia diuina trium personarum. Estq; persona substantia

tia

DE TRINITATE.

est pater, qui est substantia eterna, intelligens, bona & omnipotens, quæ intuens & cogitans sese gignit ab eterno imaginem sui de sua essentia, Hæc proprietates, scilicet gignere, discernit patrem à filio.

Secunda persona est filius, qui est imago patris, ab eterno genita de essentia patris. Et dicitur λόγος, quod sit ita natus, ut ex mente nascitur cogitatio seu sermo. Nam & cogitatio, qualiscunq; imago est cogitatae rei. Nec sunt in creaturis exempla, quæ propius depingant hanc mirandam generationem, quam hæc duo, mens cogitationem gignens, & lux spargens radium, ideo Epistola ad Ebræos uocat fulgorem paternæ lucis. Sed tamen non omnino conueniunt hæc similitudines. Nostra cogitatio non est persona, nec est substantialis imago. At filius est substantialis imago æterni patris, & sicut in symbolo dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. Et quod sit alia persona à patre, inde manifestum est, quia hæc imago patris assumpsit postea humanam naturam, quam non assumpsit pater. Cum igitur se Deus ita patefecerit, quod pater & hæc imago sint distinctæ personæ, credamus Deo hæc

K reuelanti.

CONCIO

reuelanti, & patrem cum hac sua imagine co-
eterna, & simul condente res, inuocemus.

Hæc Iohannes clarè expressit in exordio
suo, ubi dicit: λόγος, qui est filius, fuisse ab ini-
tio, & per eum omnia condita esse, cum pater
quasi deliberat cū filio, fulget in filio idea, ope-
ris fabricandi. sicut in creatione hominis hæc
deliberatio describitur: Faciamus hominem ad
imaginē nostram. Hæc arcana lux nondū conspi-
citur, sed aspicienda erit in uita æterna. Nūc nos
de filio cogitantes, intueamur eum exhibitū no-
bis assumpta humana natura, prædicantē, passum
resuscitatū, stantem in Iordane, ascendentem in
cælum, & de ipsius proprio munere cogitemus,
quòd mirando consilio Dei factus sit pro nobis
deprecator, & uictima, placans iram Dei. Et sit
Emanuel, inter nos uersatus, regnans inter nos,
ideo exhibitus nobis, ut nos miseros regat et ser-
uet, Ideoq; ante assumptam humanam naturam,
se cernendum præbuit Patribus, ut Danieli &
alijs &c.

Alligetur ergo cogitatio nostra de filio
ad Christum, qui se patefecit, et nobiscum uersa-
tus est, crucifixus, resuscitatus est, & ascendit in
cælum, & se ostendit Stephano, & alijs. Ac scia-
mus

DE TRINITATE.

mus ideo nobiscum uersatum esse, ut testaretur se semper curare & exaudire inuocantes. Et quod Philippo interrogati de patre respondit, qui uidet me, uidet patrem: cum de patre cogitamus, primum hunc filium patefactum mente intueamur, et hunc patrem inuocemus, quod de eo edidit hanc uocem, Hunc audite. Et semper simul cogitemus de ipsa patefactioe, non frustra Deum se ostendisse, & familiariter cum hominibus collocutum esse, sed certo testatum esse hac ipsa re, quod uere nos curet. Nec ulla est illustrior confirmatio, aduersus Epicureos et Academicos furores quam haec ipsa cogitatio de patefactioe, et miraculis, quae omnia fuerunt principaliter testimonia patefactionis. Quoties autem sic de filio cogitamus, simul ueniat in mentem, quod mediator sit et intercessor pro nobis, quod propter ipsum exaudiamur.

Tertia persona est Spiritus sanctus, qui est agitor, procedens a patre & filio, eiusdem substantiae, per quem in mentibus sanctorum noui motus placentes Deo excitantur, & per quem Ecclesia uiuit uita aeterna. Ac proprie tribuitur Spiritui sancto uocabulum procedere, quod ut aliquo declaretur, sicut supra de imagine quaesiuimus qualecunque exemplum in intellectu hominis, ita iam intueamur uoluntatem hominis seu cor. Gene-

CONCIO

ratio propria est intellectio, quia pingit
 imagines intellectio. Spiratio uero uoluntatis est
 aut cordis. Ut autem uoluntas in homine, aut
 cor non pingit imagines, sicut pars cognoscens,
 sed habet impetus, aut motus, aut flatus, quibus
 attrahit aut pellit obiectum, amat quasi atra-
 hens, odit quasi pellens. Sic à uoluntate æterna
 patris et filij impetus seu flatus efficacissimus est,
 qui est de ipsa patris & filij essentia. Hic flatus
 non dicitur genitus, sed procedens. Et hic ip-
 se flatus statim initio describitur à Mose, Et spi-
 ritus Dei ferebatur super aquas, id est, fouebat
 aquas, impertiebat eis uigorem, ubi significatum
 est, Deum per spiritum sanctum impertire uitam
 et agitationem creature suæ. Sed aliud est loqui
 de generali agnitione seu uita, aliud de reno-
 uatione hominis, in qua fiunt motus obedientes
 Deo, agnitione Dei, & iusticia. de hac propriè di-
 camus.

Supra dictum est, creationem esse opus
 commune trium personarum. Sic & renouatio
 seu sanctificatio est opus commune trium perso-
 narum. Sed modus discernitur. Pater, & filius,
 & spiritus sanctus recipiunt hominem propter
 filium mediatorem, & pater & filius mittunt
 spiritum

DE TRINITATE.

Spiritum sanctum, per quem fiunt noui motus inchoantes uitam eternam in hominibus. Hæc magna res expresse descripta est in donatione spiritus sancti, cum Christus insufflaret spiritum sanctum in Apostolos, dicens, Accipite spiritum sanctum. Hic status reuera erat persona spiritus sancti, per quam & in Apostolis noui motus excitabantur. Ita cum ad Mariam dicretur, Spiritus sanctus ueniet super te, et potētia altissimi obumbrabit tibi, persona spiritus sancti uerè erat præsens, et per eū in corde uirginis fiebat umbraculum, id est, nō in cutiebatur sensus horrēdæ iræ Dei, sed accendebatur agnitio misericordiæ, & leticia in illa agnitione misericordiæ.

Hæc declaratio diligenter consideretur, & in inuocatione discatur, in qua petamus accendi in nobis nouam lucem, & regi nos spiritu sancto. Nam opera spiritus sancti aliter intelligi nō possunt, nisi in nobis accendantur. Sunt autem hæc opera spiritus sancti in mentibus piorum, per uerbum Dei accēdere lucem, id est, agnitionem iræ Dei aduersus peccatum, & rursus agnitionem misericordiæ promissæ propter filium. excitare fiduciam, quæ in ueris pauoribus erigit mentes, & consolatur conspectu misericordiæ

CONCIO

promissæ propter mediatorem. Cum hac fiducia
 exuscitat inuocationem, & flectit mentes, ut se
 Deo subijciant. De his operibus concionatur
 Christus, cum inquit: Spiritus glorificabit me,
 id est, accendet agnitionem mei in mentibus, quæ
 assentiuntur Euāgelio. Itē Spiritus sanctus arguet
 mundum de peccato de iusticia, & de iudicio.

Dixi, quomodo tres personæ discernendæ,
 & agnoscendæ sint. Discernantur hoc modo. Pa-
 ter gignit ab eterno filiū, intuens sese et cogitās.
 Filius genitus est à patre, & est imago patris.
 Spiritus sanctus procedit à patre & filio, & est
 status seu agitator, per quem fit sanctificatio.

Discernantur autem & agnoscantur per
 externa testimonia, hoc modo, Pater clamat de
 filio, Hunc audite, Filius assumpsit humanam
 naturam, & factus est mediator. Spiritus san-
 ctus est missus & ostensus in flatu, in specie co-
 lumbæ in linguis igneis, & per eum noua lux &
 agnitio Dei, & noua iusticia accenditur. Hæc
 nobis clariora essent, si in inuocatione cogita-
 rentur, & reuera crederemus Deum nobis uelle
 quoque hanc lucem impectire, & hac fiducia
 petcremus, Ideo clamat Christus, quanto magis
 pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum. pe-
 tentibus

DE TRINITATE.

bus se? Vult agnosci Deus, uult in nobis habitare, modo admittamus eum, sicut inquit: Ego sto ad ostium, & pulso. Item, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Item, Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat: qui credit in me flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Et uocat omnes, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hæc ideo dicta sunt, ut in inuocatione consideremus opera personarum, & consideratis operibus, discamus eas rectè discernere, & inuocare, & Deo gratias agere, q̄ se generi humano patefecerit.

Queramus autem & appellationes personarum, eisq; distinctè & prudenter utamur. Pater, dicitur pater Domini nostri Iesu Christi. Filius dicitur uerbum & imago patris, ut in epistola ad Ebraeos scriptum est fulgor gloriæ, id est, lucis, & imago substantiæ patris. Hæc uocabula utcunq; supra declarauimus. Dicitur uerbum, quia nascitur cogitando. Dicitur imago, quia uerbum est imago cogitate rei. Multi etiam ideo nominant uerbum quia sit persona loquens cum Patribus, sicut apparet filium loqui cum Daniele. Deinde in Euangelio Ioannis cap. 14 tribuitur spiritui sancto appellatio paracliti, id est, aduocati.

CONCIO

Miretur autem aliquis, cur hic titulus spiritui sancto, attributus sit. Sed apparet principaliter hanc appellationem significare presentiam & officia spiritus sancti, in ministerio & confessione. Ecclesia accusat mundū, & uicissim à mundo accusatur, neutrum autem sustinere posset, nisi haberet aduocatum spiritum Dei, docentem mentes, ut rectè iudicent, et confirman- tem, ut audent uera profiteri, refutare errores, & perferre odia & supplicia. Quod enim doceat spiritus sanctus, testatur dictum Ioan. 16. Cū uenerit ille spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Item Ioan. 14. Docebit uos omnia, & rediget uobis in memoriam omnia quæ dixi uobis. Et I. Ioan. 2. Unctio docet uos de omnibus, & est ueritas, & non est mendacium.

Discamus igitur inter beneficia spiritus sancti in renouatione primum esse docere. Et quidem dupliciter docet, publicè per ministerium, & intus accendit lucem in cordibus, ut dextrè et rectè accipiant uocè Euangelij, nec fingant alienas opiniones, sicut multi propter iudicia rationis corrumpunt dicta Euangelij. Vt nunc multi corrumpunt doctrinam de gratia & iustificatione fascinati humanis opinionibus, quia
imaginantur

DE TRINITATE.

Imaginantur iusticiam tantum esse qualemcunq;
disciplinam, & deprehendunt in animis dubita-
tionem, quam putant non esse malam. Item mul-
ta dicta ad imperium transtulerunt pontifices,
quæ loquuntur de spiritali gubernatione, ut
dicta de clauibus. Deniq; sæpe decerrant homines
à uera luce. Ideo petamus hoc beneficium. uide-
licet, ut spiritus sanctus accendat in nobis lucens
doctrinæ. & ubi promittitur spiritus sanctus,
sciamus hoc tantum beneficium promitti.

Præterea cum docet, confirmat assensionem,
quam diabolus uariè labefactare conatur. Multi
enim, cum initio recte sensissent, postea uel scan-
dalis, uel speculationibus contrarijs impulsî, du-
bitare cœperunt, & tandem prorsus cæciores facti
sunt. De his enim loquitur Christus in parabola
sementis, cum inquit: Diabolus rapit uerbum ex
corde eorum. Aduersus hanc tantam tentatio-
nem simus in statione, & in excubijs. Et ut Pau-
lus inquit: depellamus tela ignita, & habea-
mus in promptu firma testimonia, per quæ spiri-
tus sanctus confirmat cor.

Postquam autem docuit spiritus sanctus, &
confirmauit assensionem, incitat uoluntatem, &
cor ad obediendum legi Dei, id est, exuscitat ti-

K S

morem

CONCIO

morem Dei, fiduciam, dilectionem, & inuocationē. Hæc opera describuntur in his dictis Pauli Romano. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Hic spiritus testimonium dat spiritui nostro, q̄ simus filij Dei, id est, spiritus sanctus exuscitat in nobis tales motus, quibus motibus mens inuocat Deum, & uerè statuit Deum nobis propiciū esse, nos seruaturum esse, & exoritur in mente quedam lux, leticia, & fortitudo, quæ superat humana mala, & subijcit nos uoluntati Dei.

Ideo Christus inquit, Non relinquam uos orphanos, quasi dicat, In mundo eritis ut orphani sine defensoribus, sine imperijs, sine certa sede, sed dabo uobis spiritum aduocatum, docentem et confirmantem uos, dirigentem consilia, et gubernationem, & regentem euentus mirabiliter, qui prospici humana prudentia non possunt. Erāt orphani Apostoli, nec uidere poterant quōdo uagabundi colligere aliquam Ecclesiam, & consociare possent, aut quomodo tam dissipati coetus coalescere in unam doctrinam possent. Ita nunc sumus orphani, Turci & alij minantur se lucem Euangelij extincturos esse.

Sed tamen adest spiritus paracletus, qui
lucem

DE TRINITATE.

lucem & robur in pijs accendit, ne Euangelium abijciant, et Deo curæ erit, ut regat euentus, dum doctrina Euangelij retinetur, dabit aliquas, politias, & aliqua hospitia.

Congruit autem cum superioribus dictis, & dulcissima sententia apud Zachariam, de effectibus, qui per spiritum sanctum excitantur: Esfundam super domum David spiritum gratiæ, et precum, id est, dabo spiritum, per quem agnoscent misericordiam, & statuent se esse in gratia, confugient ad Deum, & inuocabunt. Nam sine spiritu sancto corda manent in dubitatione, fugiunt Deum, & opprimuntur desperatione, et pauoribus. Econtra, cum deposita mala conscientia, lucet in cordibus agnitio misericordiæ, per Euangelium, concipitur spiritus sanctus, qui pacem & leticiam cordis efficit, & adiuuat, ut statuamus nos recipi, & exaudiri, & impellit, ut inuocemus Deum, ac petamus & expectemus bona, & in his motibus accenditur et crescit renouatio, de qua concionatur Euangelium.

Idem prorsus uult dictum 2 Corinth. 3. Nos resecta facie gloriam Dei intuentes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriã tanquã à Domini spiritu, Id est, nos resecta

CONCIO

tecta nostra facie nos agnoscimus esse reos, & intuemur gloriam, id est, splendorem Dei in Christo monstratam, uidelicet immensam amplitudinem misericordiae, Transformamur autem ad eandem imaginem, id est, inchoatur in nobis similitudo Christi, accensa noua luce, quae est firma Dei noticia, & nouis motibus, timore, fiducia Dei, inuocatione, odio peccati. à gloria in gloriam, id est, crescente subinde hac luce & claritate. Et haec fiunt, inquit, per Domini spiritum, datum & effusum in nos.

Has grauissimas sententias ideo nobis proponamus, ut sciamus promissum esse hoc tantum donum & serio petamus, sicut Christus iubet, inquit, Quanto magis pater uester dabit spiritum sanctum petentibus? Deinde etiam caueamus, ne resistamus spiritui sancto, indulgentes prauis cupiditatibus, contra conscientiam, neue eum expellamus, & sicut Paulus loquitur, ne eum contristemus. Ac uarie unus lapsus contristat spiritum sanctum, ut Dauidis lapsus contristabat spiritum sanctum, primum in corde Dauidis, unde eiciebatur. Postea in omnibus, quibus magnitudo scandali dolorem attulit, maxime uero in mulieribus, quae per uim stupratae sunt, quae in summo

DE TRINITATE

summo luctu fuerunt, & fortassis aliqua dolore ac desperatione extinctæ sunt. Sic maximè contristant spiritum sanctum, qui falsa dogmata defendunt, quia conturbant multos pios, quos in dubitationem adducunt, excitant dissidia, quæ pariunt innumerabilia scandala. Simus igitur uigilantes, & discamus Deo ueros cultus tribuere, & ueram inuocationem, & petere ac retinere dona Dei: In his exercitijs fiet nobis doctrinæ de tribus personis illustrior.

CONCIO DE PETRA, EVANGELIUM

Matth. 16.

VENIT autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens, Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uero Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Iesus Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit, Tu es Christus filius Dei uiui. Respondent autem

CONCIO

autem Iesus dixit ei, Beatus es Simon Bar Ionæ, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi nō præualebūt aduersus eam. Et dabo tibi clauēs regni cœlorum, Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis, Et quodcunque solueris super terram, erit solutum in cœlis

Quatuor sunt loci.

- I De agnitione Dei & filij eius.
- II Discrimen inter agnitionem ethnicam & ueram, & quòd semper considerandum sit, quòd Deus se patefecit, & cur se patefecerit.
- III. Discrimen Christi & prophetarum.
- IIII. Institutio ministerij Euangelij, & efficacia & conseruatio.

DE PRIMO.

Vtilissimū est sepe cōsiderare, homines nō ortos esse casu, sed à deo cōditos, et adhūc finē cōditos, ut sint imagines eius, celebrantes ipsum

DE TRINITATĒ.

ipsum, Ac humana mens tanq̄ speculum esse debebat, in quo luceret illustris Dei noticia. Ideoq̄ se patefecit Deus homini dupliciter, In sita naturali noticia, & promulgato certo uerbo, quod certis testimonijs confirmauit. Magnum beneficium est creatio, sed multo maius, q̄ Deus etiā se uerbo suo patefecit, & uult agnosci & inuocari, ut det uitā eternam. Et hæc patefactio testimonium est, homines non casu nasci, non casu uiuere. Non enim frustra patefecit se Deus, sed ut inuocetur & saluet. Hæc initia semper cogitanda sunt

DE SECUNDO.

Ethnici cum differunt de Deo, uagantur animis, & decurrant à uero Deo, quia non querunt illum Deum, qui se in uerbo suo patefecit. Et quanq̄ naturali iudicio Legem utcunque agnoscunt, tamen non norunt remissionem peccatorū, promissam propter filium. Ideo fugiunt Deū, & irascuntur ei, quod hęc imbecillē naturā tantum ad exitium condiderit. Tales ignari Euangelij, & fugientes Deum, non possunt eum inuocare. Quia inuocatio requirit fidem petentē, et expectatē bonā à Deo. Discernatur igitur

Ethnica

CONCIO

Ethnica agnitio à uera. Nam uera agnitio hunc Deum inuocat qui nos condidit, & se immensa bonitate patefecit, misit filium, de quo clamauit Hunc audite, & propter quem donauit remissionem peccatorum, & restituit uitam æternam. Semper igitur in inuocatione mens intueatur hunc Deum conditorem, qui se patefecit promulgato uerbo suo, & misso filio, qui pro nobis factus est uictima, & non frustra se patefecit, nec frustra misit filium. Quare semper in prece cogites: Te inuoco, omnipotens æterne, uiue Deus æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor et conseruator oim rerum, cum filio tuo Iesu Christo, & spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, qui patefecisti te dato Euāgelio, et donato filio pro nobis, miserere mei propter filium tuū dominū nostrū Iesum Christū quē uoluisti pro nobis esse uictimā, mediatorē & deprecatorē, & sanctifica, rege, iuua, doce me spiritu sancto tuo. Hæc forma preceationis diligenter cogitanda est, ut discernamus ueram inuocationem ab Ethnica, Iudaica, Turcica, & cum mens considerat testimonia, quibus se patefecit, multæ dubitationes Epicureæ, & Academicæ excluduntur.

De

CONCIO
DE TERTIO.

CVM ita consideramus Deū se patefacien-
tem, ordine illustres reuelationes facte
Patribus, Prophetis, Christo, Apostolis,
cogitentur. Sed hic discrimen attendatur inter
Prophetas & Christum. Prophetæ sunt
Doctores, per quos sonat uox Dei. Sed non
sunt uictimæ, quæ merentur remissionem pec-
catorum, nec sunt datores spiritus sancti, &
uite æternæ, Sed tantum sunt ministri uocis
diuinæ, seu concionatores. Sicut Ioannes
significanter dixit: Ego sum uox clamans in
deserto. Sed aliud maius officium est
Christi. Hic intercessit pro nobis apud Pa-
trem, & mirabili consilio diuinitatis missus est,
ut fieret uictima, & esset dator spiritus sancti,
& uite æternæ, constitutus mediator, prop-
ter quem Deus recipit nos, afferentes fiduciam
huius mediatoris. Hoc mirandum consilium
nondum satis intelligimus, sed tantū scimus testi-
monium esse ingentis iræ aduersus peccatum,
& rursus immensi amoris, erga genus huma-

L num

CONCIO

num. Neceſſe eſt enim eſſe ueram & ingentem iram, quam nulla res placare potuit, niſi filius. Et ruruſus neceſſe eſt, magnam uim amoris diuini eſſe, quòd non uoluit hanc creaturam perire, ſed dato filio reſtitui.

Sed multi de Chriſto aliter ſentiunt, fingunt fuiſſe legiſlatorem, qui tantum præcepta de moribus tradiderit, ſicut cæteri Philoſophi, aut fingunt ſimilem eſſe Prophetis, ut Iudæi adhuc expectant Meſſiam, tanquam legiſlatorem aut gubernatorem politicum, non uictimam, aut datorem uitæ æternæ. Ideo hîc in quaſtione dicitur, alios aliter de Chriſto iudicare. Sed uera Eccleſia diſcernit Chriſtum, & Prophetas. Ideo hæc profeſſio hîc exponitur. Vos quem me eſſe dicitis? Reſpondet Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei uiuentis. Duas res aſſeuerat, hunc, natum ex Maria, eſſe Meſſiam, id eſt, promiſſum ſaluatorem, & hunc ſaluatorem eſſe filium Dei, non, ut cæteri dicuntur filij, adoptiõe, ſed natura filium. Sicut ex Pſalmo didicerat Petrus: Filius meus eſtu, ego hodie genui te. Porrò, non ſolum in dæcendo, ſed quotidie in inuocatione teneatur hoc diſcrimen Chriſti, & Prophe-

DE PETRA.

et Prophetarum. Sciamus Prophetas tantum
fuisse doctores, non placatores Dei, et datores
uitae aeternae. Sed fides intueatur et inuocet hunc
Messiam, ita ut statuat eum fuisse uictimam pro
nostris peccatis, et nunc esse mediatorem, seu
propiciatorem, et datorem spiritus sancti et
uitae aeternae, et esse natura filium Dei, id est,
eadem potentia cum patre, regnantem, liberan-
tem, defendentem, uiuificantem. Haec omnia comple-
ctitur Petrus in sua confessione, quae à nobis cla-
rius intelliguntur, cum in inuocatione cogitabi-
mus beneficia Christi, et hunc mediatorem pa-
tri proponemus, et ad eum uerè confugiemus.

DE QVARTO.

Edita professione instituitur ministerium,
sed Christus praefatur de fine, seu utilitate
huius professionis, et unde sit haec lux. Fi-
nis seu utilitas est, ut hac agnitione, confessione,
et inuocatione Christi consequamur aeternam
salutem. Ideo hic dicitur, Beatus es Simon, Si-
cut et aliàs dicitur, Haec est uita aeterna, ut ag-
noscant te solum esse Deum, et quem misisti
IESVM esse CHRISTVM. Sic et Esaias

L 2 dixit

DE PETRA

dixit: Agnitione sui iustificabit seruus meus multos. Non lex, non alia res humana ulla abolet peccatum & mortem, Sed agnitio & inuocatio huius filij affert iusticiam, & uitam eternam. Postea dicitur, unde sit hæc lux. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus coelestis. Euangelium non est sapientia ab hominibus inuenta. Nec mens humana assentitur Euangelio, nisi Deo adiuuante. Adiuuat autem Deus, non eos, qui superbè repugnant uerbo Dei. sed qui credunt uerbo Dei & petunt se iuuari, sicut Christus inquit: Quanto magis Pater uester coelestis dabit spiritum sanctum petentibus?

Postquam præfatus est Christus, quæ sit utilitas huius doctrinæ, & unde sit, postea addit sententiam de ministerio seu propagatione, & de Ecclesia. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu, quatenus sonas hanc uocem, & profiteris hunc natum ex Maria esse Messiam & filium Dei, catenus es Petrus, id est, rupes, quæ non euerteretur, eris minister huius uocis, & propagator

DE PETRA.

gator. Hoc tibi mandatum do, ut hanc confessionem prædices, Et super hanc petram, id est, super hoc ministerium prædicandæ huius uocis, ædificabo Ecclesiam meam, Hic locus docet quid sit Ecclesia, & ubi sit quærenda. Dea inde, quod sit perpetuò mansura.

Quid est igitur Ecclesia? Est congregatio sonantium hanc uocem de Christo prædicato per Apostolos, sicut eum confessi sunt Apostoli, in qua congregatione necesse est aliquos esse noua luce donatos à patre cœlesti, & habituros gloriam æternam. Sed cur non potius dicitur, super me ædificabo Ecclesiam? An alligatur Ecclesia ad Petri aut Apostolorum personam? Respondeo: Magno consilio dictum est, super hanc petram. Alligatur enim Ecclesia ad ministerium Apostolorum, id est, uult nos Christus huic ipsi uoci, cum prædicabunt eam postea Apostoli, credere sicut sue uoci, & sicut uoci de cœlo sonanti. Ideo ad Ephesios scriptum est, Ecclesiam exstructam esse super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, uidelicet, quod attinet ad propagatio-

L 3 nem, &

CONCIO

nem, & ministerium & testimonium doctrinae. Sed est exstructa super Christum, quod attinet ad meritum, doctrinae fontem, & efficaciam, id est, propter Christum Ecclesia est electa & uocata à principio mundi, & propter eum seruator, & saluator, Et per Christum ex sinu patris reuelatum est Euangelium, & filius est efficax, dat dat spiritum sanctum per Euangelium. Ideo 1. Corinth. 3 dicitur: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Item, Filius qui est in sinu patris ipse reuelauit nobis. Item, Ego sum uia, uita & ueritas. Item, Non relinquam uos orphanos, sed ueniam ad uos. Item Acto: 2. Ad dextram igitur Dei exaltatus, promissionem spiritus sancti accipiens à patre effudit. Magna autem consolatio est, quod scimus testimonium datum esse Apostolis toties à Christo, quod eorum uoce & ministerio colligenda sit Ecclesia, quod hoc ipso uerbo, quod Apostoli praedicant, Deus seruaturus sit Ecclesiam, sicut Ioan. 17. dicitur: Oro, non pro ipsis tantum, sed pro omnibus credituris per uerbum eorum. Et 20. Sicut misit me pater, sic mitto uos.

Postquam

DE PETRA.

Postquam dictum est, ubi sit Ecclesia, uide-
licet ubicunque hæc cōfessio Apostolorum sonat,
& quid sit, sequentes sententiæ loquuntur de
perpetua conseruatione.

Et portæ inferi non præualebunt
aduersus eam. Ecclesia est subiecta cruci,
omnibus temporibus. Sed tamen aliàs mi-
nus uexatur, aliàs quassatur durius, ut, tem-
pore Dauidis & Salomonis, fuit tranquillior
quàm tempore Ieremiæ, & Macchabeorum. Di-
ctum est autem de postremis temporibus, Eccle-
siam futuram augustissimam, & passuram tri-
stissimas tyrannides, & dispersiones, Sicut iam
grassari in eam uidemus turcicam barbaricam,
reges & pontifices, & inter se doctorum esse
atrocia disidia. Nulli principes firmi sunt,
nulla sedes Ecclesiæ duratura uidetur. Deniq;
uerè est, ut uocat Daniel, dispersio. Hoc tali
tempore diligenter muniendi sunt animi, ne de-
ficiant à Deo, propter hanc tristem speciem.
Nec cogitent extinctam esse Ecclesiam Dei peni-
tus. Sed sciant Ecclesiam esse talem dissipatum
coetum, agnoscentium Christum, & tamen
L 4 mansuram

CONCIO

mansuram esse. Sic prædixit Christus Luca 21. Erit pressura gentium in angustia, Et Paulus inquit, Erunt tempora seua. Etsi autem hæc mala sunt in conspectu, tamen multi leuiter afficiuntur tam horrendis spectaculis. Quare ea intueamur, ut quæramus ueras consolationes, & excitemus nos ad inuocationem. Gemitus nostri petant defensionem & conseruationem Ecclesiæ, studiorum, politiarum, quia Ecclesijs opus est hospitio. Et ne desperatione frangamur, testimonia tencamus, quæ de perpetuitate Ecclesiæ concionantur, ut hic: Et porte inferi non preualebunt aduersus eam. Item, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Psalm. 110. Tu es sacerdos in æternum. Esa. 59. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Item Ierem. 31. ~~Sanctum templum Domini non euelletur, & destruetur ultra in perpetuum.~~ His dictis confirmemus nos, ut statuamus non abiectum esse totum genus humanum, sed adhuc manere Ecclesiam, nos exaudiri, & perpetuo

DE PETRA.

et perpetuò mansuram esse. Sed simul petendam esse à Deo conseruationem, et laborandum, ut uerbum Dei retineamus. Nam apud eos non manet Ecclesia, qui uerbum Dei abijciunt. sed Deus alibi sibi populum colligit, ut, abiectis Iudæis, propagata est doctrina inter gentes, ut in Osea dicitur: Quia repulisti scientiam, repellam te. Cogitemus item in tantis periculis, nos non solos sustinere hæc certamina, sed filium Dei nobis adesse, sicut Daniel inquit, de hoc ipso postremo tempore. Illo tempore stabit pro filijs populi sui dux magnus Michael, id est, Christus.

Postremum dictum de efficacia loquitur, Dabo tibi clauis regni cœlorum. Ut gladius significat imperia. Ita clauis significant domesticam gubernationem. Vult autem Christus Ecclesiæ regnum magis œconomiae, quàm imperijs simile esse. Ideo utitur appellatione clauium. Significant autem non partem administrationis, sed totum munus, id est, potestatem seu mandatum docendi Euangelium, administrandi Sacramenta, uocandi ministros, annunciandæ

L 5 remissio=

CONCIO

remissionis peccatorum, & excludendi cōtumaces ex regno Dei, sine vi corporali. His tantis actionibus adest Deus, & saluat obedientes Euangelio, & damnat contumaces, sicut Roma. I dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Etsi impijs ridiculum uidetur, cum audiunt uoce Euangelij homines certò fieri heredes uitæ eternæ, tamen nos hoc tantum beneficium grati agnoscamus & amplectamur. Sciamus Deum non frustra se patefecisse, nec frustra filium misisse, nec frustra dedisse Euangelium additis illustribus testimonijs, & credamus uoci Dei, qui toties promisit uitam eternam amplectentibus Euangelium, & testatus est se illis affuturum esse. Sicut Christus inquit: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

EXposui locos Euangelij continentes doctrinam maximè utilem pijs mentibus, de agnitione Christi, & de Ecclesia, qui cum ad fidei lumen in mentibus pertineant, tamen quadam praua imitatione detortæ sunt ad regnum pontificium. Ecclesia fundata est super mis-

DE PETRA.

per ministerium, id est, uerbum Apostolorum,
non super successores Petri, relinquentes uer-
bum Apostolorum. Nec clauēs significant
imperia mundana, aut potestatem feren-
di leges, sed simpliciter munus docen-
di Euangelij, & administratio-
nem sacramentorum, ut
prius dixi, sine ui
corporali.



Euangelion dicitur 23 post Trinitatis
matthaei 24 cap.

Wen ir nun sehen wirdt den rüst geü-
ell, dānon gesagt ist, dines den propheete
Daniell, cap. 12. dat er steit an der gälgen
stadt Cwer das list, der mercke drauff
als dan fluge auff den berg wer im iude
sijed landt ist: wude wer auff den dach
ist, der seige nicht gerab etwas auff seine
huss zu golen: wude wer auff dem feld
ist

ist, der here mit wunderumb syne kleider
zu halen. wec aber den schwangeren und
stehenden zu der zucht: Hittet aber, das
erwer flucht mit geschehen von winter
oder am Sabbath: dan es wurd dan
eyn groß trübsall syn, als mit gewesen
ist vom anfang der werlt bis her, und
als ainf mit werden wirdt. Unds wo
diffe Tage mit verkündet werde, so wird
de kein mensche salig, aber vnd der wasser
welken willen, werde de tage verkündet.

So dan Jemant zu eyn werde sage
sage, wie ist eyns, oder dort, so salt es mit
gleiben: dan es werde falsche gesallten
und falsche propheeten außstou, und große
zeichen und wunder thün, also das ort
(wo es möglich) in irthüm gefurt wer
den de wasserwelken. Nempt war ir gals
einf zuuor gesagt, darumb wen sei zu
sagen werden: Sage er ist in der wisten,
so pamt mit gemiß. Beicht zu er ist in der
innerlichen gemachten, so gleibts nicht.
Dan gleich wie der bligen außset vom
auffgange und schinet bis zum mitter
tag: also wurd ainf syn de thü köpft
des menschen son, wo aber eyn toder
lib.